et partem subiectivam modestiae, exemplo S: Joannis Evangel:
(: De quo c. 4. num. 54 :) comendatam, eo quod homo non semper
possit manere labori intentus, ideoque indigeat subinde
sua refocillatione. Sed tamen docet in usu huius refocillationis
esse attendenda. 1mo, ne refocillatio haec quaeratur in
operationibus, et verbis turpibus vel nocivis: unde Tullius
lib: 1. de officiis dicit, quod unum genus iocandi est
illiberale, petulans, flagitiosum, obscoenum. aliud autem atten-
dendum, ne totaliter gravitas animae resolvatur: unde Am=
=brosius dicit lib. 1. De officiis: Caveamus ne dum
animum relaxare volumus solvamus omnem harmoniam, quasi
concentum quendam bonorum operum. Et Tullius lib. 1. de
officiis, quod sicut pueris non omnem ludendi licentiam damus,
sed eam, quae ab honestis actionibus non sit aliena, sic in ipso
ioco aliquod probi =ingenii lumen eluceat. 3tio autem attendendum
est, sicut et in omnibus aliis humanis actionibus, ut congruat
personae, et tempori, et loco, et secundum alias circumstantias
debite ordinetur. ita S: Thomas. Et ante illum Aristoteles
lib: 4 Ethicorum ubi monet, quod quomodocunque vitio et
dissolutione Eutrapelia fiat Bamolochia, id est, scurrilitas,
quae comititur per excessum in iocosis, sicuti rusticitas
comititur per defectum, seu morositatem. Hae enim duo,
nempe scurrilitas et rusticitas ab Aristotele ponuntur ex=
=trema Eutrapeliae; verba illius sunt: qui ridiculis excedunt,
scurrae atque importuni esse videntur, qui ridicula penitus
affectant, adeo studeant potius risum movere, quam honeste
loqui, et dolore eum afficere, quem cavillantur. quae

© Universitätsbibliothek Heidelberg
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/salVIII60/0205
UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
gefördert durch Baden-Württemberg